UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Nicolai Cavssini Trecensis, E Societate Iesv, De Eloqventia Sacra Et Hvmana Libri XVI

Caussin, Nicolas

Coloniae Agrippinae, 1634

18. Marsyas: Ex eodem Apuleio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-70090

Visual Library

CITHAROEDVS.

Apuleius, lib. 2. florid.

Deſcriptio XVII.

ADoleſcens eſt viſenda pulchritudine, crinibus, fronte parili, ſeparata, per malas reuulſus: ponè autem, coma prolixior interlucentem ceruicem ſcapularum finibus obumbrat: Ceruix ſucci plena, malæ vberes, genæ teretes, ac modico mento iaculantur, eique prorſus citharœdicus ſtatus, deam conſpiciens, canenti ſimilis. tunicam picturis variegatam deorſus ad pedes deiectus, ipſos Græcanico cingulo, chlamyde velat vtrumque brachium, aduſque articulos palmarum. Cætera decoris inſtrumentis dependent, cithara baltheo cælata, apta ſtructim ſuſtinetur: manus eius tenera procerculè læua diſtantibus digitis neruos molitur; dextra pſallente geſtu, pulſabulum citharæ admouet, ſeu parata percutere, cùm nox in cantico interquieuit: interim canticum videtur ore tereti, & ſemihiantibus in conatu labellis eliquare.

Confer cum iſta deſcriptionem Luciani, quæ habetur aduerſus indoctum.

MARSYAS.

Ex eodem Apuleio.

Deſcriptio XVIII.

EO genitus Marſyas, cùm in artificio patriſſaret tibicinij, Phryx cætera, & barbarus, vultu ferino trux, hiſpidus, illutibarbus, ſpinis, & pilis obſitus: fertur (proh nefas) cum Apolline certauiſſe, turpis cum decoro, agreſtis cum erudito, bellua cum Deo; Muſæ cum Minerua, diſſimulamenti gratia, Iudices aſtitere, ad deridendam ſcilicet monſtri illius barbariem, nec minus ad ſtoliditatem illius puniendam: ſed Marſyas, quod ſtultitiæ maximum ſpecimen eſt, non intelligens ſe derid iculo haberi, priuſquam tibias occiperet inflare, priùs de ſe, & Apolline quædam deliramenta barbarè effutiuit, laudans ſe, quod erat, & coma relicinus, & barba ſqualidus, & pectore hirſutus, & arte tibicen, & fortuna egenus.

M E M N O N.

Philoſtratus, in Memnone.

Deſcriptio XIX.

ΣΚόπει γὰρ ὅσος μὲν κεῖται κατὰ τῆς γῆς ὅσος δὲ ὁ τῶν βοστρύχων ἄσταχυς, οὓς οἶμαι νείλῳ ἔτρεφε. νείλου γὰρ Αἰγύπτιοι μὲν, ἔχουσι τὰς ἐκβολάς, αἰθίοπες, τὰς πηγάς· ὅρα τὸ εἶδος ὡς ἔρρωται, καὶ τῶν ὀφθαλμῶν ἀπολολότων· ὅρα τὸν ἴουλον ὡς κατὰ ἡλικίαν τῷ κτείναντι. οὐδ' ἂν μέλανα φαίης τὸν μέμνονα. τὸ γὰρ ἀκράτως ἐκ αὐτῷ μέλαν ὑποφαίνει τι ἄνθοις.

ETenim aduerte, quantus humi iaceat, quantaque cincinnorum ſpica, quos, puto, Nilo nutriebat, Nili enim oſtia, AEgyptij, fontes, AEthiopes habent: aſpice quantum ſpecies ipſa roboris, oculis etiam extinctis præferat: aſpice præterea lanuginem, quàm interfectoris ætati congruat, ne nigrum quidem diceres, Memnona: nam quæ ipſi ineſt ſincera nigredo, floris neſcio quid præ ſe fert.

MELEAGER VENATOR.

Philoſtratus in Meleagro.

Deſcriptio XX.

ΦΈρε δὴ, καὶ τὰ περὶ αὐτὸν ἐπαινῶμεν. στυφνὸς μὲν ὁ νεανίας, καὶ πάντη σφριγῶν.

AGedum, etiam quæ ad ipſum ſpectant, commemoremus: Calloſus eſt, ac rigidus